


CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM  
DE SACRA LITURGIA

---

# NOTITIAE



IANUARIO-APRILI 1965

---

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

## DUBIA

*Solutio quae proponitur nullam induit vestem officialem. Solummodo habet valorem orientativum: solutiones enim ex officio publici iuris fient, si casus fert, a competenti Auctoritate in « Acta Apostolicae Sedis ».*

## AD INSTRUCTIONEM

Ad nn. 15 et 18:

1. Utrum expressio art. 15 *Instructionis*: « omnibus qui in domo sunt participantibus » relate ad Missam principalem in die dominica in seminariis et studiorum domibus religiosis, intellegenda sit etiam de moderatoribus et magistris, qui tempore huius Missae in seminario vel domo formationis religiosa manent?

*Resp.*: Affirmative. Si moderatores sunt sacerdotes et si, secundum eundem articulum *Instructionis*, fit concelebratio, convenit ut in hac Missa concelebrant.

Ad n. 36 b:

2. Utrum liceat aspersionem aquae benedictae facere per modum unius pro omnibus in presbyterio praesentibus, sicut fit pro incensatione iuxta *Instructionem* n. 36, b?

*Resp.*: Affirmative.

Ad n. 48:

3. Utrum in Missa *lecta* una alterave pars Ordinarii (*Kyrie, Gloria*, etc.) aut Proprii (e. g. Graduale, antiphona ad Communionem) cantari possit?

*Resp.*: Affirmative.

Ad nn. 53-55:

4. Utrum sit contra spiritum *Constitutionis*, n. 52, ut, loco homiliae, catechetica instructio fidelibus praebetur?

*Resp.*: *Instructio* art. 52 *Constitutionis* declarat, eo sensu ut, si schemata praedicationis intra Missam habendae a competenti auctoritate disponuntur, praedicatio ipsa ita ordinari debet ut intimus nexus servetur cum praecipuis saltem temporibus et festis anni liturgici seu cum mysterio Redemptionis.

Ad n. 60:

5. Cur duobus tantum diebus licet fidelibus bis ad sanctam Communionem accedere?

*Resp.*: Firma lege generali de unica Communionem singulis diebus concessa, Ecclesia, principio innixa de pleniore participatione per Eucharistiae susceptionem in sacris celebrationibus, iis diebus, in quibus duo officia liturgica, inter se omnino distincta, pro universa communitate celebrat, facultatem dat bis communicandi fidelibus qui utramque celebrationem participant. Quam facultatem ad omnes dies non extendit cum plures celebrationes tunc sint tantummodo iteratio eiusdem celebrationis in favorem fidelium qui unice celebrationi interesse non possent. Breviter: cum unum celebratur Officium, etsi iteratum, unica conceditur accessio ad sacram mensam; cum duplex celebratur Officium, duplex conceditur Communio.

Ad n. 74 a:

6. Quinam sit contentus brevis admonitionis in initio ritus Matrimonii, secundum Litt. Apost. *Sacram Liturgiam*, n. V et *Instructionem* n. 74, a habendae?

*Resp.*: In celebratione Matrimonii sine Missa, brevis admonitio, paucis tantum verbis facienda, revocet attentionem praesentium ad ea, quae postea fient. Haec admonitio etiam a commentatore bene fieri potest.

Ad n. 91:

7. Utrum liceat altare in medio ecclesiae exstruere, ut Missa semper celebretur versus populum?